

*O. homo est vivens. E.*

*N. Homo est mortuus.*

Resp. in hoc sophismate sunt quatuor termini implicitè, *homo* enim in minori propositione aliter sumitur, quàm in conclusione, & sic diversa unius vocis acceptio diversos parit terminos. In minore enim *homo* sumitur *in statu*, in conclusione autem *cum distractione*. Ut hæc responsio rectius intelligatur, explicandum est, quid sit status, quid ampliatio, & quid distractio secundum Logicos, Si g. 1. vox aliqua eandem plane temporis differentiam importat, quam verbum in propositione, nempe copula, vel copulam continens importat, ita ut subjectum istud aliam non involvat temporis differentiam, sumi dicitur *in statu*, v. g. cum dico *homo vivit*, *homo* sumitur in statu, quia sicut verbum importat præsens tempus, ita *homo* etiam illud tempus involvit, & sumitur pro eo, qui in præsentem existit, is enim qui fuit, vel erit homo, non vivit. 2. Si subjectum ali- quod in propositione involvit non tantum illam temporis differentiam, quam verbum importat, sed præter eam aliam quoque, quam verbum non denotat, vox s. subjectum illud dicitur sumi *cum ampli-*  
B 5 *atione*